



AChilles Pirminius natus est honestis paren-
 tibus Lindauij ad lacum Podmicum. Is à te-
 neris annis operam literis dedit, & post prima ru-
 dimenta percepta sese hinc inde ad uarias Acade-
 mias contulit. In ijs liberalibus artibus incubuit,
 atq; Philosophiæ & Mathematices præcepta feli-
 citer hausit. Postea animum ad studiũ Medicum
 conuertit, & in ea professione supremum Docto-
 rum gradum magna laude obtinuit. Cum hoc mo-
 do eruditione & pietate conspicuus esset, Augu-
 stam Vindelicorum peruenit, et eius urbis Archia-
 tros constitutus fuit. Eam functionem is per mul-
 tos annos singulari felicitate obiuit, & apud om-
 nes prudentes homines, ob multarum rerum usum & uitæ integritatem, sibi
 magnam auctoritatem conciliauit. Inter negotia quoq; alia scripsit Historia-
 rum et Chronicorum mundi Epitome, atq; publicauit aliquot tabulas Mathe-
 maticas. Lindauensem quoq; & Augustanam urbem, ad Sebastiani Monste-
 ri Cosmographi petitionem, diligenter descripsit, & hoc modo posteritati
 prodesse uoluit. In ea existimatione Achilles etiamnum superest, & Au-
 gustæ magna uirtutis opinione ueneranda canitie agnosci-
 tur, Anon.